

8. September 2000, 8.30 Uhr – 10.30 Uhr

Tempelraub in Agrigent

Der römische Prätor Verres bereichert sich in den Jahren 73 bis 71 v. Chr. als römischer Statthalter auf Sizilien schamlos. Auch vor Tempelraub schreckt er nicht zurück. Von der erfolgreichen Vereitelung eines solchen Versuches berichtet der folgende Text:

Herculis templum est apud Agrigentinos¹ non longe a foro, sanctum apud illos et religiosum. Ibi est ex aere simulacrum ipsius Herculis tam pulchrum, ut eius mentum² sit attritum³, quod in precibus homines id non solum venerari, sed etiam osculari⁴ solent.

Ad hoc templum, cum esset Verres Agrigenti⁵, subito nocte servorum armatorum fit concursus atque impetus. Clamor a templi custodibus tollitur. Qui primo resistere ac defendere conantur, sed male mulcati⁶ repelluntur. Postea servi valvis⁷ fractis demoliri⁸ simulacrum Herculis conantur.

Interea ex clamore fama tota urbe percrebruit⁹ expugnari deos patrios non hostium adventu, sed ex domo praetoris manum servorum armatam venisse. Nemo omnium Agrigentorum viribus tam infirmis fuit, qui non illa nocte eo nuntio excitatus surrexerit armaque ceperit.

Horam amplius¹⁰ iam in demoliendo simulacro permulti homines moliebantur¹¹; illud autem commoveri non poterat.

Ac subito Agrigentini concurrunt; fit magna lapidatio¹²: dant se in fugam Verris praetoris nocturni milites. Duas tamen statuas parvas tollunt, ne inanes ad istum revertantur.

(155 LW)

¹ Agrigentini, -orum: die Bewohner von Agrigent
² mentum, i (n): Kinn
³ attritus, a, um: abgerieben, abgewetzt
⁴ osculari: küssen
⁵ Agrigenti: in Agrigent
⁶ mulcare: verprügeln, misshandeln
⁷ valvae, -arum (f): Flügeltür
⁸ demoliri: abbauen
⁹ percrebruit: Perfekt zu percrebrescere (sich verbreiten)
¹⁰ horam amplius: über eine Stunde lang
¹¹ moliri in: sich abmühen mit
¹² lapidatio, -onis (f): Steinhagel